

4759.

1351 Okt. 10.

Lödöse.

Konung Magnus belägger med kvarstad de gods, hvilka innehafts af Daniel Ragnvaldsson från Östergötland, till dess slutlig dom hunnit afgöra frågan om äganderätten till desamma.

Registr. Eccles. Linc., fol. 108.

Nos Magnus, Dei gracia rex Swecie, Norwegie et Scanie, tenore presencium constare volumus omnibus euidenter, quod nos bona omnia et singula, que quidam Daniel Ragwaldzsson de Osgocia bone memorie vbiunque habuit et possedit, cum fructibus ex eis prouenientibus per presentes de cetero ponimus in aresto, donec veritate super premissis cognita et discussa per nostram diffinitiuam sententiam fuerit terminatum, ad quem uel ad quos bona premissa debeant pertinere, prohibentes firmiter et districte, nequis, cuiuscunque sit status, fructus huiusmodi deinceps ante nostram diffinicionem occupare, distrahere uel alio quouis modo in alterius partis preiudicium se de ipsis intromittere presumat, prout amissionem iuris, si quod sibi in bonis premissis competit uel competere poterit, voluerit euitare. Datum Lothosie anno Domini millesimo ccl primo crastino beati Dyonisii et eius sociorum sub sigillo nostro ad causas.

Öfverst på bladet: Littere super bonis cantorie.

4760.

1351 Nov. 10.

Lödöse.

Konung Magnus' dom i tvist mellan Halsten Pettersson och Boëtius Hemmingsson rörande egendom i 'Kijlahult'.

L. Sparres afskr. saml. i Sv. Riksark., sign. J 6, f. 55 v.

Omnibus præsentis literas visuris Magnus, Dei gratia Sveciæ, Norvegiæ et Scaniæ rex, salutem in Domino sempiternam. Cum in causa, quæ inter nobiles viros Halstanum Patarsson ex vna parte, Boetium Hemmingsson ex altera super bonis in Kijlahult coram nobis in iudicio vertebatur, dictus Boetius sponte fuerit confessus, quod quælibet octaua pars omnium et singulorum prædictorum bonorum tam in terra quam in arboribus et aliis quibuslibet vtilitatibus et commodis, que ex præmissis bonis in Kijlahult quomodolibet poterunt prouenire, ad eundem Halstanum de iure pertineant et pertinuerant ab antiquo, nos iuxta memorati Boetii confessionem spontaneam pro sepedicto Halstano Pætharsson super octaua parte omnium prædictorum (o: prædictorum) bonorum in Kijlahult tam in terra quam arboribus et aliis vtilitatibus, fructibus et commodis antedictis diffinitiuam sententiam pro tribunali sedentes duximus promulgandum (o: -am). Datum Ludosie sub sigillo nostro ad causas anno Domini mccc primo in profesto sancti Martini episcopi et confessoris, præsentibus domino Carolo, decano Scarensis [o: -i], ac Algoto Benedictsson, legifero Westgotiæ, et Iohanne Christinæsson, consiliario nostro.

Märke efter ett sigill angifvet.